

DN. REGINÆ ESKIÆ

Nobili Domo & Sanguine Austenio prognatae,

Irreprehensa in Deum Opt. Pietate,

Intemerata in Maritum Fide,

Incomparabili in Sobolem utriusq; Sexus Caritate,

Maximis Minimisq; notissimæ,

VIRI Pra-Consularis, & jam Beati,

DN. JACOBIE SKEN,

Conjugi carissimæ, Viduæ,

Ultimum hoc Honoris

V E C T I G A L ,

WENCESLAUS JOHANNIDES, Prof. Publ. & Visitator,

Et

JOHANNES REZIK, Prof. P. & Visitator

Gymnasii Thorunensis,

BENEFICIORUM INTEGRO SEXENNIO PERCEPTORUM MEMOR,

Anno Christianorum M. CCCCCC. LXXXII.

Die solennis Sepulturæ,

quæ fuit Januar. nona,

promiè & reverenter

deposuerunt.



THORVNII,

Imprimebat Johannes Balthasar Bresler.



Xuvias animæ sanctæ nunc condimus urnā,
Matronæ sequimur funera mœsta pia.
Magnifici Soror est Austen, Præ-Consul's Uxor
Eskiadæ, claro Fœmina clara loco.
Cujus cura preces fuerant, cui Biblia cordi,
Et servire suo nocte dieq; Deo.
Natos & Natam summo dilexit amore,
Vicit eo matres mater amore bonas.
Ut teneros ales pullos forvet atq; tuetur:
Sic Sobolem Mater forvit & illa suam.
Hanc igitur Matrem tam sanctam tamq; benignam
Prosequitor lacrymis Eskia tota Domus.
Hanc Austeniadæ dilectam flete Sororem,
Defunctæ manes & celebrate pios.
Fœmina sancta, poli magnum Decus, accipe Christus
Præmia que donat pro Pietate Tibi.
Soletur Bonitas Sobolem divina reliqtam,
Et post tristitiam gaudia fundat ei!

AD LAUDABILEM ALTRICEM QUONDAM SUAM.

Si rapidum biberem Tanaïm, Scythicasq; paludes,
Fructiferam aut undam, Nile superbe, tuam:
Per mare fluctuonum raperet si carbasa Caurus,
Argolica & ferret corpora nostra ratis:
Candida si incolerem multâ nive culmina sancti
Soractis, Scyllam & murmura sæva sali:
Nuncius at yeniens morbos calumq; dolendum,
Si mihi narraret, mens mea læsa foret.
Hic postquam increpuit tua mors (quis credere vellet?)
Intremui toto corpore, mente simul,

Nec

Nec minus ingemui, quam si de corpore sano,
Nervus, vel dextræ pars resecanda foret.
Ut Metius quondam doluit sua corpora rumpi,
Sensit ut ulti res proditoris equos:
Sic animus noster se se in contraria scindit,
Tendit eò pars hæc, altera tendit eò.
Solvuntur sensus molles, nubesq; doloris
Squallida, convestit pectora fessa mea.
Ut tamen hæc mentis nubes procul ipsa recessit,
Et rursus sensus convaluere mei:
Ore pio, sanctum, mite & venerabile Nomen
Incinui, mihi quod Numinis instar erat.
Numinis instar eras mihi, Tu *Regina*, recordor,
Dum tetigit me Fors fulmine lœva suo.
Cùm primum adveni magnam peregrinus in Urbem,
Ignotus populo, & vix mihi notus eram.
Hospitium mihi tu, lætanter prima dedisti,
Tu rebus fueras ara reperta meis.
Me dilexisti, genitrix velut optima prolem,
Notus erat candor pluribus ille tuus.
Non neglexisti lassis succurrere rebus,
Ausa es me largâ sustinuisse manu.
Fortunæ est nostræ per Te sic redditæ vita,
Reddit ut extinctis Pallas amica focus.
Cùm lœvi raperent in Syrtes Carbasa venti
Naufraga, præter Spem littora tutæ dabantur.
Vestivisti me, mihi largè alimenta dedisti,
Tu fueras, fateor, sancta Tabitha mihi.
Quod firmus steterim primo illo tempore, sancte
Confiteor, primum munus id esse tuum.
Omnia scire cupit si quis data munera nobis,
Plus, quam quod fieri res sinit ille cupit.
Tam dextro nequeo conscribere Apolline carmen,
Omnia concelebrem quod benefacta tua.
Scribere quæ nequeo, nostris impressa medullis
Sint, & quæ taceo mente animoq; colo.
Spiritus hic fragilis citius moriturus in auras
Ibit, & innatus deseret ossa tepon:
Quam fugiant mentem meritorum obliavia nostram;
Et longo Fautrix excidat ista die.

Eg

Et quoties de me mea me Fortuna jubebit
Dicere; Te poterit lingua tacere mea?
Dumq; loquar, Te, Te, pariter mea lingua loquetur,
Laudibus ingenuis clara ferére meis.
Postquam rumpentur fragilis mea stamina vitæ,
Interpres noster, charta, loquetur opus.
Nunc ferat & vulget tua facta, os, littera scripta,
Officium peragant lingua manusq; suum.
Tu pia Mens, Cervo similis, dum corpora linquis,
Parta tibi æthereæ corripe Regna plagæ.
Et matura DEO, Christum tibi querere perge,
Nec nisi adorato Numine fige pedem.
Mundus te tenuit, saturavit melle & aceto,
Te Mundum profugam sistere posse nego.
Mella quidem monstrat, sed fel largitur amarum,
Et quando mel dat, non sine felle dabit.
Ille habet os hominis, credas, sed tigridis ungues,
Ergò fuge, ô pia Mens, si tibi cara salus.
Exaudi arcanum carmen, testudine majus
Orphei, quæ rupes visa movere fuit.
Cætera non repeto Cœli miracula, nostris
Grandibus esse scias viribus istud onus.
Frigida membra suis terræ requiescite in umbris,
Concludat bustum corpora cara tria.
Ludvici Nati, Matris, dulcisq; Parentis,
Et reddat Cœlo corpora cara tria.
Hæc tibi sponte mea, ô Altrix! monumenta locavi,
Hic Te ut servato Vate maneret honos.
Burggrarium sanguis jussit tua funera flere;
Me pietas; pietas, hæc mihi sanguis erat.

